

priora et simpliciora, praesupponit pluralitatem primorum et simplicium: ex hoc enim homo et asinus habent diversas differentias, quod rationale et irrationale non sunt una, sed plures differentiae. Nec potest semper dici, quod illius pluralitatis sit alia diversitas prior et simplicior causa: quia sic esset abire in infinitum. Et ideo pluralitatis et divisionis primorum et simplicium oportet alio modo causam assignare. *Sunt enim huiusmodi secundum se ipsa divisa.* (loc. cit.) Hinc ulterius infer ibidem, primam tandem causam istiusmodi divisionis et pluralitatis sumendam esse secundum affirmationem et negationem quae existit inter ens comparate ad non ens. * Non potest, ait, esse quod ens dividatur ab ente in quantum est ens. Nihil autem dividitur ab ente nisi non ens. Similiter etiam ab hoc ente non dividitur hoc ens, nisi per hoc quod in hoc ente includitur negatio illius entis.... Sic igitur patet, quod pluralitatis vel divisionis ratio prima sive principium est ex affirmatione et negatione, ut talis ordo originis pluralitatis intelligatur, quod primo sint intelligenda ens et non ens, ex quibus ipsa prima divisa constituuntur, ac per hoc sunt plura. Unde sicut primum ens, in quantum indivisum est, statim invenitur unum; ita post divisionem entis et non entis statim invenitur pluralitas primorum simplicium. Hanc autem pluralitatem sequitur ratio diversitatis, secundum quod manet in ea suae causae virtus, scilicet oppositionis entis et non entis: ideo enim unum plurium diversum dicitur alteri comparatum, quia non est illud. (loc. cit.)

115. **Divisio seu pluralitas formarum secundum quod ipsae.** — Ex praestituto principio derivat ulterius Angelicus hanc generalem regulam, nullam scilicet formam, una excepta quantitate, si secundum se ipsa spectetur, posse dividi seu plurificari numerice, quin eo ipso dividatur seu plurificetur specificie. Ratio huius regulae, in eo quod affirmat, haec est ex mente S. Doctoris. Quaevis enim forma, praecisa quantitate, et secundum se spectata, non aliud exhibet nisi *rationem specificativam*. Si itaque sint plures formae sic spectatae, necesse est distinguantur invicem

secundum affirmationem et negationem in ipsa ratione specificante, prout specificans est. Atqui talis distinctio non est pure numerica, sed specifica etiam. Ita fere Angelicus II. cit. Excipitur vero ex hac generali regula quantitas dimensiva, quia scilicet ipsa sola, prout talis est, importat divisionem seu divisibilitatem in plura eiusdem rationis. * Ipsa quantitas dimensiva, ait S. Doctor, secundum se habet quamdam individuationem, ita ut possimus imaginari plures lineas eiusdem speciei, diferentes positione, quae cadit in ratione huius quantitatis: convenit enim dimensionem quod sit quantitas positionem habens. (Summa th. 3. p. q. 77. a. 2.)

116. **Radix pluralitatis numericae in formis substantialibus.** — Cum certum sit, formas substantiales multiplicari numerice in eadem specie, et aliunde, secundum ea quae praemissa sunt, non possit haberi huius multiplicationis radix ex ipsis formis prout ipsae sunt; consequitur, eam petendam esse ex parte subiecti, quo multiplicato necesse est multiplicetur ipsa forma quae naturalem ordinem ad ipsum dicit. Ratio autem cur multiplicari quae tale subiectum, recte ducitur ex naturali ordine quem materia habet ad quantitativas dimensiones, quippe quae secundum se ipsae plurificabiles sunt in una eademque ratione. Ita S. Thomas II. cit., sed praecipue I. c. *Cont. Gent.*, ubi fere totam hanc quaestionem sic breviter ipse resumit. * Habet et hoc proprium quantitas dimensiva, inter accidentia reliqua, quod ipsa secundum se individuetur: quod ideo est, quia positio, quae est ordo partium in toto, in eius ratione includitur: est enim quantitas positionem habens. Ubiqueque autem intelligitur diversitas partium eiusdem speciei, necesse est intelligi individuationem: nam quae sunt eiusdem speciei, non multiplicantur nisi secundum individuum. Et inde est, quod non possunt apprehendi multae albedines, nisi secundum quod sunt in diversis subiectis: possunt autem apprehendi multae lineae, etiamsi secundum se considerentur; diversus enim situs, qui per se lineae inest, ad pluralitatem linearum sufficiens est. Et, quia sola quantitas dimensiva de sui

ratione habet, unde multiplicatio individuorum in eadem specie possit accidere, prima radix huius multiplicationis ex dimensione esse videtur. Quia et in genere substantiae multiplicatio fit secundum dimensionem materiae, quae nec intelligi posset, nisi secundum quod materia sub dimensionibus consideratur: nam, remota quantitate, substantia omnis indivisibilis est, ut patet per Philosophum, I. Physic. .

117. **Quomodo spectari debet quantitas prout dicitur numericae pluralitatis radix.** — Quoniam divisibilitas in partes eiusdem rationis convenit rei quantae praecise prout est eiusmodi; quantitas autem sic spectata non dicit hanc prae illa terminationem secundum mensuram vel figuram: hinc quantitas quae dicitur radix pluralitatis numericae, debet spectari prout a tali determinatione praescindit; haec quippe terminatio provenit vel a specifica ratione substantiae quae ei substat, vel ex aliis causis extrinsecis. Et hoc expresse notat S. Thomas, "Materia, ait, efficitur haec et signata secundum quod est sub dimensionibus. Dimensiones autem istae possunt dupliciter considerari. Uno modo secundum earum terminationem: et dico eas terminari secundum terminatam mensuram et figuram; et sicut entia perfecta collocantur in genere quantitatis. Et sic non possunt esse principium individuationis: quia cum talis dimensionum terminatio varietur frequenter circa individuum, sequeretur quod individuum non remaneret idem numero semper. Alio modo possunt considerari sine ista determinatione in natura dimensionis tantum, quamvis nunquam sine aliqua determinatione esse possint: sicut nec natura coloris sine determinatione albi et nigri, et sic collocantur in genere quantitatis ut imperfectum. Et ex his dimensionibus interminatis efficitur haec materia signata; et sic individuat formam, et sic ex materia causatur diversitas secundum numerum in eadem specie. . (Super Boëth. *De Trinitate*, l. c.) Neque obstat, si dicatur quantitas etiam sic spectata comparari ad substantiam per modum accidentis vere et proprie eiusmodi; accidens vero, utpote natura posterius, potius vi-

deatur multiplicari ob substantiae multiplicationem quam vicissim. Respondet S. Doctor, "Dimensiones ex seipsis habent quandam rationem individuationis secundum determinatum situm, prout situs est differentia quantitatis. Et sic habet quantitas duplicem rationem individuationis: unam ex subiecto, sicut et quodlibet aliud accidens; aliam ex seipsa, in quantum habet situm, ratione cuius in abstractendo a materia sensibili imaginatur hanc lineam et hunc circumulum. Et ideo recte materiae convenit individuare omnes alias formas ex hoc quod subditur illi formae, quae ex seipsa habet individuationis rationem; ita quod etiam ipsae dimensiones terminatae, quae fundantur in subiecto iam completo, individuantur quodammodo ex materia individuat per dimensiones interminatas praecintellectas in materia. . (*loc. cit.* ad 3.)

118. **Error cavendus in tradita explicatione.** — Haec est summa doctrinae Aquinatis de numerica multiplicatione substantiarum materialium, quam ipsis fere verbis S. Doctoris placuit exponere, ut nulla ex parte corrumpere. Ne autem, in re profecto salebrosa admodum, error valde perniciosus subrepat ab eius mente alienissimus, sedulo notandum est, ordinem illum materiae ad quantitatem dimensionem, qui dicitur esse ratio multiplicationis numericae eiusdem materiae et formarum informantium, non esse relationem quandam *praedicamentalem*, sed *transcendentalem*, quae propterea nihil differt realiter ab ipsa entitate seu potentialitate materiae. Quare prorsus omnino perperam quis inde interret, ipsam numericam distinctionem unius substantiae materialis ab alia, puta huius humanitatis ab hac alia humanitate, *formaliter* causari in humanitate, prout actu subiacet quantitativis dimensionibus, contra id quod ante docuimus [th. XIII.]. Immo expresse S. Thomas in testimonio, quod ultimo loco recitavimus, docet, ipsam quantitatem, secundum quod est accidens, ac propterea secundum quod est actus inhaerens, non individuare substantiam cui inhaeret, sed contra ab ea individuari, seu reddi alteri incommunicabilem. Id etiam nitide observat his verbis. "Dicendum, quod illa

quae differunt numero in genere substantiae, non solum differunt accidentibus, sed etiam forma et materia. Sed si quaeratur, QUARE haec forma differt ab illa, non est alia ratio nisi quia est in alia materia signata. Nec invenitur alia ratio QUARE haec materia sit divisa ab illa, nisi propter quantitatem. Et ideo materia subiecta dimensionis intelligitur esse PRINCIPUM huius diversitatis. (loc. cit. ad 4.) Et alibi. " Ideo quantitas determinata dicitur principium individuationis, NON QUOD ALIQUO MODO CAUSET SUBIECTUM SUEM QUOD EST PRIMA SUBSTANTIA, sed concomitatur eam inseparabiliter et determinat eam ad hic et nunc. " (Opusc. 25. al. 29. De principio individuationis). Confer quae late exposui in Logica th. XIX. (1).

(1) Doctrinam in ea thesi propugnatam longo examini subieci, in Ephemeride *Civitate Cattolica*, cl. Mathaeus Liberatore, eamque maxime probavit tamquam veritati ac menti Agnatis omnino conformem. Inter alia haec habebat. " Secondo il S. Dottore (S. Tommaso) l'individuazione della natura si riduce da ultimo all'individuazione della materia (*materia signata*), e questa individuazione o *signazione* della materia si ha, non dalla quantità attuale, ma dall'intrinseco ordine alla medesima: giacché in quanto è attuale, la quantità suppone già la sostanza singolare, da cui rampolla, e per virtù della quale s'individualizza, come ogni altro accidente. Ora l'intrinseco ordine della materia alla sua quantità determinata, non essendo una relazione *predicamentale*, ma una relazione *trascendentale*, non può distinguersi *re*, ma *virtute* soltanto dalla cosa in cui si ritrova. E così è verissimo che l'individuazione, considerata *formalmente*, cioè *ut forma officiosa* la natura, si distingue da lei *ratione cum fundamento in re*, benché considerata *consuetudine*, cioè da parte del principio onde deriva, si distingue *realiter*. Ne abbiamo un esempio nell'anima umana; la quale separata dal corpo resta individua per l'ordine che dico al corpo, e tuttavia quell'ordine non è cosa realmente distinta da lei, ma sol virtualmente. Chi si ostinasse a dir difforme da san Tommaso questa spiegazione, dovrebbe aver la bontà di dichiararci, non con parole generiche, ma in termini precisi ed intelligibili, in che consista, secondo il santo Dottore, la *signazione* della materia. Se si tien fermo alle frasi adoperate da lui che la *designazione* della materia procede dalla quantità determinata, e che questa non *causatur subiectum suum quod est prima substantia*, cioè la natura individua; non potrà rispondere altro se non che quella *designazione* della materia o *signa-*

119. Quae sit ratio individuationis in substantiis immaterialibus. — Quum radix ontologica, quamobrem multiplicari possint individua in una eademque specie, repetatur, in sententia exposita, ex ipsa materialitate substantiae, id consequens esse videtur, non posse eiusmodi multiplicationem existere, ubi talis titulus minime intercedat. Atqui ita res habet in substantiis pure spiritalibus, cuiusmodi sunt Angeli, ut quae nec materia constant nec ad materiam informandam naturalem ordinem habent. Quare secundum praestituta principia dicendum foret, eas seipsis individuari, atque adeo in tali substantiarum genere totidem existere species quot individua. * Substantiae separatae, ait S. Thomas, sunt quaedam quidditates subsistentes. Species autem rei est quam signat definitio, quae est signum quidditatis rei; unde quidditates subsistentes sunt species subsistentes. Plures ergo substantiae separatae esse non possunt, nisi sint plures species. " (2. *Cont. Gent.* c. 93.) Ceterum, etsi exposita doctrina quoad hoc ultimam alicui minus fortasse probatur (1), haud tamen negari posse videtur, in ea, si

zione, che voglia dirsi, *formalmente* presa è l'intrinseco ordine, a cui vien condotta la materia a tale o cotale quantità determinata. (Serie XIII. vol. III. quaderno 866.)

(1) Diversa Theologorum placita, immo et SS. Patrum, in hoc puncto, relata et diligenter examinata invenies apud Suarez *De Angelis*, lib. 1. c. 15. Item apud Eminentissimum C. Mazzella, qui tamen hanc rem nullo modo definire ausus, ita concludit. * Nobis satis erit ignorantiam nostram huc in re confiteri, et dicere cum Sancto Augustino (in *Enchirid.* c. 58.), *Quomodo autem se habeat beatissima illa, et suprema societas, quae ibi sint differentiae personarum, (al. praepositarum); ut, cum omnes tamquam generali vocabulo Angeli nuncupentur.... sint tamen illic Archangeli, et utrum idem Archangeli appellentur Virtutes.... Quid inter se distent.... dicant, qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt; ego me ista ignorare confiteor.* Et (lib. ad Orosium *Cont. Priscill.* etc. c. 11.) ait. *Esse itaque Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates in coelestibus apparatus, firmissime credo, et differre inter se aliqui, indubitata fide teneo. Sed.... quatenus ista sint, et quid inter se differant,*

minus unicam, optimam tamen rationem assignari multiplicationis secundum numerum in substantiis materialibus: est quippe desumpta ex ipso proprio conceptu substantiarum id genus.

SECTIO V.

An corpora ratione quantitatis sint sine fine divisibilia.

120. *Praesupponenda.* — Quo proposita quaestio resolvatur, tria in antecessam praemittimus.

I. Hic sermo est de divisibilitate quantitativa. Haec porro dupliciter considerari solet, videlicet in partes aequales seu aliquotas, et in partes inaequales ac proportionales. Prior divisio habetur, cum una pars accipitur, quae aliquoties repetitur quousque exhaustur divisum. Alio modo fit divisio cum partes quae inde habentur, tametsi inaequales inter se, proportionem tamen conveniunt, ut si una dividatur in dimidiam partem, et haec in aliud dimidium, atque ita deinceps. Ex hac explicatione patet, quantitatem finitam non posse in infinitum dividi priori genere divisionis; haec quippe metitur dividendum, ac propterea respectu cuiusque magnitudinis mensurabilis seu finitae exhausti tandem debet. Quaestio proinde vertitur solummodo quoad alteram divisionem, et huc tandem redit, utrum ea in quae tali modo dividitur magnitudo

nescio. Nec ex sane ignorantia periclitari me puto. Quibus significat, huius differentiae notitiam non pertinere ad fidem; eo vel maxime, cum Ecclesia nihil unquam de hoc staterit. Unde Damascenus (lib. 2. De fide, c. 3.) ait: *Ac quoad essentiam quidem, aequales ne sint inter se, an disparates, compertum non est: solus hoc scit Creator illorum Deus, qui universa explorato noxit.* (Tract. De Deo Creatore, D. 2. a. 2. n. 285.)

quaelibet, sint et ipsa extensa, tametsi divisio sine fine protrahi supponitur, vel contra sint indivisibilia quaedam positiva sive punctalia, sive linearia aut superficialia, quae simul iuncta extensionem continuam efformant (1).

II. Revocanda est distinctio pluries usurpata inter corpus *physice*, et *mathematice* consideratum. Corpus *physicum*, qua tale, est in genere substantiae compositae, ex materia scilicet et forma, substans tum quantitati tum ceteris accidentibus sensibilibus. Consideratur vero *mathematice*, si in eo a ceteris omnibus fiat abstractio, et sola magnitudo quantitativa spectetur. Iam vero corpus naturale seu *physicum* quodcumque habet terminum suae parvitalis, ita scilicet ut ipsius species seu natura non possit sub minori quantitate existere quin corrumpatur. Et haec doctrina tum ex legibus chemicis proportionum definitarum et multiporum probabilissima redditur, ut suo loco notavimus [50. obiec. II], tum expresse traditur a S. Thoma his verbis. "Corpora naturalia ad certum terminum dividuntur, cum unicuique formae determinetur quantitas secundum naturam, sicut et alia accidentia. Unde nec rerefactio in infinitum esse potest, sed usque ad certum terminum." (Qq. Disp. Pot. q. 4. a. 1. ad 5.) Et alibi. "Etsi

(1) Aristoteles, et cum eo omnes veteres Doctores Scholastici, iura Matheseos in re praesenti luculenter vindicaverunt. Ab hac sententia discedere incoeperunt nonnulli Scholastici sequentis aevi, et compositionem extensionis continuae explicare tentarunt per iuxtapositionem et colligationem punctorum. Haec appellata fuit sententia Zenonis, non quia revera sit Zenonis Eleatensis, sed quia consequens est ex argumentis quibus possibilitatem motus impetere conabatur. Ratio autem quamobrem posteriores isti peripatetici deseruerint sententiam, eminenter peripateticam, fuit difficultas in solvendis exceptionibus quae in contrarium militant. Immo quemadmodum vetus ille Zeno propterea motum localem impossibilem censebat, sic etiam non desunt, qui ob similem causam impossibilem esse diuidentem extensionem omnem vere continuam. Ceterum nihil nos cogit, ut propter obiectiones difficilissimi solutionis veritatem certo demonstratam relinquamus: id quippe iudicii imbecillitatem argueret, ut in re praesenti egregie aiebat Aristoteles.

prima materia, prout in se consideratur, nullam quantitatem habeat, non tamen sequitur, quod sit in potentia respectu cuiuslibet quantitatis imaginabilis. Cum enim quantitates determinatae et omnia alia accidentia secundum exigentiam formae materiam recipiant, eo quod subiecta materia cum forma est causa eorum quae insunt, oportet quod materia prima ad nullam quantitatem sit in potentia, nisi quae competat formae naturali, quae in materia esse potest. (2. *Dist.* 30. q. 2. a. 1.) Quare spectari debet corpus, in quaestione praesenti, solummodo ratione quantitativae magnitudinis cui subest, prout scilicet considerant mathematici.

III. Elsi hic sermo est de divisibilitate quantitatis positionem habentis, quae tamen dicemus locum habent etiam in quantitate motus localis, et temporis. Et ratio plana est. Motus quippe localis divisibilis est pro divisibilitate quantitativae magnitudinis quae intercedit vel intercedere potest inter duos terminos ipsius: pro divisibilitate autem motus, dividitur tempus quo mensuratur. Quare haec tria ita se habent, ut non possit unum eorum sine fine esse divisibile, quin hoc ipsum de alijs asseratur.

THESIS XV.

Corpus, mathematice spectatum, nequit quantitative dividi nisi in partes extensas: est propterea sine fine divisibile.

121. *Demonstratio.* — Elsi haec thesis gravissimis prematur difficultatibus, sunt tamen conclusiones paucae admodum in tota Philosophia, quae evidentiorum vel aequae evidentem demonstrationem habent. Tria tantum adducam.

Argumentum I. — Sumitur ex divisibilitate motus et temporis. Nam motus localis et tempus sunt divisibilia

in infinitum. Ergo et magnitudo quantitativa. Consequentia constat ex his quae paulo ante diximus, nec ab adversariis negatur. Probatur vero antecessum. Nisi hoc admittatur, tria manifeste impossibilia admittenda forent, videlicet indivisibile dividi, omnia mobilia eodem tempore idem spatium percurrere, impossibilem denique fore motum circula-rem. Prob. hoc per partes.

I. Ac primo quidem sit mobile A duplo velocius, et mobile B duplo tardius. Supponatur praeterea, illud tribus instantibus transire distantiam trium punctorum. Evidens est, in hac hypothesi, mobile B iisdem tribus instantibus transire debere dimidium spatii trium punctorum. Atqui dimidium trium punctorum est punctum cum dimidio. Ergo punctum indivisibile dividitur. Praeterea mobile B in indivisibili instanti temporis nequit moveri nisi per punctum. Ergo mobile velocius acquirere punctum per aliquid temporis minus instanti, ac propterea instans ut ut indivisibile divideretur.


II. Palet praeterea, quod secundo loco asseruimus, videlicet, in tali hypothesi, eodem tempore idem spatium percurrendum fore a mobilibus quibuscumque. Etenim mobile tardissimum in instanti nequit acquirere nisi punctum: similiter mobile velocissimum. Id autem dici potest de sequentibus instantibus. Ergo utrumque mobile eodem tempore percurreret eundem numerum punctorum, atque adeo spatium eiusdem plane magnitudinis. Nec valet recursus ad morulas quas nonnulli finxerunt, existentes in motu tardiori. Sic quippe manifeste destrueretur *continuitas* ipsius motus, praeter alia manifeste impossibilia et ridicula quae in tali hypothesi quisque facile imaginari poterit.

III. Repugnaret denique, in tali hypothesi, motus quilibet circularis. Et re quidem vera, quo talis motus dari posset, necesse foret, ut linea recta, uno puncto manente, versetur in gyrum. Hoc vero fieri non posset. Et ratio est, quia in praedicto motu lineae rectae, praeter centrum, cetera puncta continue moventur, ita ut remotiora centro moveantur velocius, propinquiora tardius. Ergo puncta re-

motiora in uno instanti vel conficiunt plusquam punctum atque adeo replicantur, vel prosiliunt ab uno ad aliud punctum non transeundo per puncta media, vel puncta centro propinquiora moventur spatio puncto minore, vel denique puncta remotiora moventur propinquioribus quiescentibus atque adeo linea ut ut recta flecteretur. Atqui ista omnia sunt prorsus omnino inintelligibilia et ridicula. Ergo impossibile foret, in tali hypothesis, lineam rectam, uno puncto manente, versari in gyrum.

122. *Argumentum II.* — Sententia contraria demonstrationes mathematice evidentes reddit evidenter falsas. Atqui hoc est plane impossibile. Antecedens facile ostendi potest afferendo demonstrationes geometricas bene multas quas repudiare oporteret, si vera esset opposita sententia. Unam tantum adduco.

Supponantur itaque binæ lineæ rectæ parallelæ AB, CD, quæ dividantur duplici alia lineâ, altera iisdem perpendiculari, altera obliqua prout in subiecta figura cernitur.



Unde hoc efficitur argumentum. Toties est divisibilis lineæ Eh, quot sunt lineæ quæ ex puncto x possunt transire per spatium ea lineâ commensuratum, quin simul coincident, nisi in eo solo puncto x . Atqui hæc sunt indefinitæ. Prob. Nam toties istæ multiplicari possunt, quoties augeri potest lineâ AB; secus quippe duo puncta non suffi-

cerent ad determinandam lineam rectam. Atqui lineâ AB augeri potest sine fine. Ergo et lineæ prædictæ sine fine multiplicari possunt. Ergo opposita opinatio manifeste contradicit scientiis exactissimis.

123. *Argumentum III.* — Probatur denique maxime a priori ex vera eademque unice legitima compositione continui quam ante declaravimus [96]. Indivisibilia siquidem in extensione continua non sunt nisi divisiones; propterea sunt actu vel potentia, prout divisio est actu peracta, vel in potentia tantum. Nequeunt itaque concipi quasi positivæ quædam entitates quæ iuxtaponantur et quodam quasi glutine mutuo coniungantur, ut extensio continua inde efflorescat. Et ratio manifesta est. Istiusmodi quippe entitates non possunt mutuo tangi nisi secundum se totæ, ac propterea quantumvis multiplicentur nunquam extensio ut ut minima inde enascetur. Atqui si extensio continua non posset protrahi in infinitum, hoc idcirco esset, quia in dividendo ad istiusmodi positiva indivisibilia deveniri posset, et consequenter omnia illa manifeste impossibilia deglutienda forent quæ Philosophus enumerat (6. *Physic.* c. 1, 2), et nos ex parte retulimus.

Solvantur difficultates.

124. *Obiectio I.* — Compositum est, natura saltem, posterius suis componentibus. Cum itaque continuum, prout huiusmodi, sit quoddam compositum, necesse est in signo naturæ priori intelligere eius componentia. Atqui componentia eiusmodi non possunt ita intelligi nisi ut inextensa, quippe quæ sunt extensionis principium. Ergo continuum per se primo non constat nisi partibus inextensis et simplicibus.

Respondeo. *Dist. antec.* Compositum est..., si sermo sit de composito quod sit unum per accidens, *conc.*; si sit per se unum, *subdist.*; respectu componentium essentialium, puta materiæ et formæ, *conc.*; respectu compo-

nentium pure integralium, ut habet extensio continui homogenei, *neg.* Sub data dist. *nego utrumque conseq.*

Si attente res introspectiatur, duo existunt compositionum genera. Quandoque enim partes sunt ratio totius; quandoque e converso totum est ratio partium. Primum contingit in iis partibus quae suis propriis terminis distinguuntur invicem, sive ob mutuam earundem *formalem* oppositionem quam habent in suis rationibus, ut sunt materia et forma quae mutuo opponuntur ut potentia et actus, sive ob ipsarum divisionem quantitativam actu perceptam, ut contingit ex. gr. in numero praedicamentali. In partibus seu componentibus eiusmodi ipsa compositio non est de formali ratione ipsorum, sed ut quid consequens habetur: et sic verum est, ea prius intelligi, quam intelligatur totum quod inde efflorescit; siquidem intelliguntur ut ratio sufficiens et principium totius. At enim, in extensione continua, prout huiusmodi, non ita res habet, sed e converso. Nam ipsa quantitas continua, prout talis, est ratio cur in ea accipi queant partes quae sint eiusdem rationis cum toto: unde partes eiusmodi intelliguntur in signo posteriori ad totum. Cum enim non alio termino claudantur, nisi quo clauditur ipsum continuum, non possunt intelligi, prout sunt a parte rei, nisi in continuo et per continuum cuius sunt partes. Sic minime intelligitur *dimidium*, prout *dimidium* est, extensionis continuae, nisi ipsum totum praetelligatur. Unde illud Aristoteles: *τὸ ἕλον πρότερον ἐβαλ τῷ μέρῳ*. Nec referat quod in Philosophia Prima [648, 654] generatim notavius, partes scilicet quantitativas respectu magnitudinis, cuius sunt partes, revocari ad genus causae materialis. Id enim non est sic intelligendum, quatenus veram aliquam causalitatem semper exerceant, sed secundum quamdam similitudinem proportionalitatis. Sicut nimirum materia per formam actuatur et perficitur, sic etiam partes eiusmodi quantitativae per totum et in toto actu subsistunt et terminantur.

Instabis. Numerus constat unitatibus. Ergo extensum constare debet inextensis.

Respondeo. *Nego consequentiam.* Praeclise in hoc differt quantitas discreta a quantitate continua, quod in illa divisio praesupponatur unitati collectionis quae in numero intelligitur, in hac vero divisio consequatur eius unitatem. Cum vero pluralitas consequatur divisionem, hinc unitas propria partium, quae pluralitatem efformant, praesupponitur ad numerum, consequitur contra extensionem continuum.

Instabis rursus. Divisio supponit distinctionem. Ergo, etiam in extensione continua, eius divisio supponit distinctionem eorum quae dividuntur, ac propterea pluralitatem.

Respondeo. *Dist. antec.* Divisio supponit distinctionem actualem vel potentialem, *conc.*; distinctionem actualem, *subdist.*; si agatur de iis quae secundum suas formales rationes sunt opposita, *conc.*; si talis formalis oppositio non intercedat, *neg. Dist. pariter consequens.*

Quandoque unum habetur ex pluribus, quae secundum formales rationes invicem opponuntur, puta ut potentia et actus. Haec porro in sua ipsa formali oppositione mutua distinctionem actualem includunt ad invicem: quare haec distinctio praesupponitur ad eorundem mutuam separationem, si contingat, ut patet in separatione formae a materia quae in corruptione contingit. In partibus vero continui homogenei non est haec mutua partium actualis oppositio, ac propterea nec mutua earundem actualis distinctio divisioni ipsarum praesumi debet. Quemadmodum vero sunt divisibiles, sic etiam et eodem modo sunt mutuo distinguibiles, scilicet *in potentia distinctae* [97]. Qua in re haberi debet prae oculis egregia regula tradita ab Angelico his verbis. *Dicendum quod omnem diversitatem praecedat aliqua pluralitas, sed non omnem pluralitatem praecedat diversitas.* (Super Boeth. *De Trinitate*, q. 4. a. 1. ad 4.) Sic, non est necesse ad pluralitatem illam quae divisionem continui consequitur, praesupponere aliquam diversitatem partium quae dividuntur: bene tamen diversitas quae in ipsis, facta divisione, intelligitur secundum proprios terminos quantitativos ipsarum, praesupponit pluralitatem quae ipsa divisione efficitur.

Obiectio II. — Deus videt omnes et singulas partes quibus constat extensio continua. Ergo videt esse vel finitas vel infinitas secundum multitudinem. Si primum, necesse est deveniatur ad partes inextensas. Sin alterum, ergo conflabitur inde extensio quaedam infinita, quod reprobatur.

Respondeo, *Dist. antec.* Deus videt omnes et singulas partes quibus constat extensio continua, intelligendo scilicet et quasi numerando multitudinem aliquam actualem ipsarum in continuo existentem, *neg.*; intelligendo illas, prout reipsa sunt, h. e. sine ulla ipsarum actuali pluralitate, sed potentiali dumtaxat, *conc.* Et sub data dist. *neg. consequens, et utramque eius illationem.*

Ut dictum est, in extensione continua homogenea nulla est pluralitas actualis, ac propterea nec finita, nec infinita, quippe hae sunt differentiae multitudinis actualis. Ceterum, cum Deus, ut cetera possibilis, item divisionem omnem possibilem intueatur, cui extensio subesse potest, nullum est inconveniens, multitudinem quandam potentialem synecategorematicè infinitam divisionum designabilem videre dicatur: in hoc enim non est minor difficultas, quam quae communiter moveri solet, cum quaeritur de infinita multitudine possibilium quae sunt obiectum divinae scientiae, de qua suo loco aliquid dicemus. Nec inde sequitur, quod hae omnes possibiles divisiones fieri vel designari simul possint. Est enim aperta contradictio in hac positione, ut data opera demonstrat Aristoteles (1. *De Generatione et Corruptione*, c. 2.) Et ratio manifesta est. Non enim, absoluta istiusmodi divisione, remanebit aliqua magnitudo; esset enim divisibilis adhuc: nec etiam remanebunt indivisibilia magnitudinis; haec enim non sunt nisi ipsae divisiones magnitudinis, quae propterea sine magnitudine manere non possunt cuius sunt termini. Aliter, peracta divisione quantitativa, aliquid remaneat necesse est de genere quantitalis. Ergo in hac hypothesisi, quod videlicet actu exhauriatur tota divisibilitas cui subesse potest extensio quantitativa, ea peracta aliquid simul maneret et non maneret, quod est aperta contradictio.

Obiectio III. — Si omnis extensio continua non constat nisi minoribus partibus quae sint et ipsae extensae, ut pertranseat integra aliqua magnitudo, licet parva, puta unius ulnae, necesse foret pertransire infinitas medietates, idque successive. Atqui non est possibile successive pertransire infinita media. Ita Zeno Eleates apud Aristotelem (6. *Physic.* c. 2.), quae difficultas dici solet Achilles argumentorum in re praesenti.

Respondeo, *Dist. maiorem.* Si omnes... idque successive, numerando scilicet per motum discretum singulas partes magnitudinis quae percurritur, *neg.*; sine tali numeratione motuque discreto, *subdist.*; et huiusmodi medietates sunt actu divisae seu distinctae, *neg.*; sunt divisae seu distinctae in potentia, *rursus dist.*; divisione quae fiat in partes aequales et aliquotas, *neg.*; divisione quae fiat in partes inaequales et proportionales, *conc. Contradist. min.*

Apposite in hanc rem cl. L. De Saii. "Quum mobile moveatur motu continuo, ipsum motu suo actu non distinguit inter infinitas divisiones sive magnitudinis, sive temporis, et sic ipsum non pertransit infinita media nisi *per accidens*, in quantum videlicet talia media sunt *secundum potentiam* sive in magnitudine sive in tempore, *per se* vero mobile pertransit magnitudinem finitam et tempus finitum. In tantum enim mobile motu suo distingueret inter infinitas divisiones magnitudinis et temporis, et sic simpliciter pertransiret infinita, in quantum ipsum post unamquamque harum infinitarum divisionum *staret*: sic quippe ipsum infinitas hasce divisiones numeraret, quod est actu inter eas distinguere. Secundum quem modum impossibile sane esset pertransire quantalameumque magnitudinem vel quantulumcumque tempus, cum mensurationis infinitorum non sit invenire finem." (*Cosmol.* n. 150.)

Obiectio IV. — Punctum, ut dicunt Geometrae, motu suo generat lineam, linea superficiem, superficies solidum. Ergo linea constat successivis punctis, superficies successivis lineis, solidum successivis superficiebus immediate coniunctis. Confirmatur, quia si globus rotetur super planum, alia atque alia puncta successive tangit,

atque adeo describit lineam. Ergo in linea non sunt nisi puncta succedentia.

Respondeo. *Dist. antec.* Et ita res habet secundum veritatem, *neg.*; et hoc dicitur secundum fictionem quamdam utilem ad imaginationem iuvandam, *conc.* Sub data *dist. nego consequens.* Ad confirm. vero *dist. antec.* Alia atque alia puncta tangit dum quiescit, quae propterea lineam non efficiunt, *conc.*; alia atque alia puncta tangit dum est in motu, *neg.* Et sub data *dist. neg. conseq.*

Ut pluries notavimus cum Aristotele et S. Thoma, secundum rei veritatem punctum non est nisi divisio lineae, haec vero divisio superficiei, quae vicissim est divisio solidi. Nullam propterea aliam realitatem habent a realitate istius. Ad consulendum vero imaginationi datur illa descriptio horum indivisibilium quae ab obiciente proponitur. Nec est ullum inconveniens in tali fictione: non enim ab imaginario hoc motu pendet veritas demonstrationum quas tradunt Geometrae: bene vero ac multum omnino ea dependet a divisibilitate indefinita extensionis continuae quam propugnamus. Ad exemplum vero illud de globo, hic certe, si motu quodam disrupto tangeret planum, istiusmodi contactus non esset nisi in puncto, h. e. in divisione lineae in eo designata. Sed quoniam motus est continuus quando rotatur, tactus ipse est unus numero et continuus, ideam plane cum motu ipsius, ac propterea est divisibile quoddam secundum longitudinem, indivisibile vero secundum latitudinem, linea scilicet, quae tandem aliud non est nisi divisio quaedam designata ipsius superficiei in qua fit contactus. Nec opponatur, lineam quae sic designari dicitur in plano, esse planam, eam contra quae designatur in globo, esse curvam; quae lineae, utpote minime invicem proportionales, non videntur mutuo coincidere posse. Nam defectus iste proportionis qui hic intervenit, suppletur a motu qui successione involvit: talis quippe contactus rotationis non fit in *instanti* sed in *tempore*.

Instabis. Saltem non videtur satis efficax ad repudiandam haec positiva indivisibilia ratio ducta ex impossi-

ibilitate efformandi extensionem, si dicantur mutuo iuxta-posita et coniuncta. Cum enim globus quiescit in plano, habentur duo puncta distincta, alterum scilicet in globo, alterum vero in plano, quae etsi sunt iuxtaposita, minime compenetrantur, et sic lineam incipiunt efformare.

Respondeo, esse insignem hallucinationem imaginationis putare, duo puncta, quae dicuntur se mutuo tangere, *iuxtaposita esse*, atque adeo lineolam quamdam inde enasci. Non enim sunt iuxtaposita, sed *simul*, h. e. eidem termino loci correspondentia. Ad rem S. Thomas. * Sicut dicitur 2. Physic., puncto non convenit esse locum. Unde si dicatur esse in loco, hoc non est nisi per accidens, quia corpus, cuius est terminus, est in loco. *Sicut autem totus locus respondet toti corpori, ita terminus loci respondet termino corporis.* Contingit autem duorum locorum esse unum terminum, sicut et duas lineas terminari ad unum punctum. Et ideo quamvis duo corpora non possint esse in diversis locis, tamen duobus terminis duorum corporum respondet idem terminus duorum locorum: *et secundum hoc dicuntur ultima corporum se tangentium esse simul.* (4. Dist. 44. q. 2. a. 2. solut. 2. ad 5.)

SECTIO VI.

De spatio et loco.

125. **Spatii conceptus et phantasma.** — Cum *spatium* et *locus* proxima quadam et immediata ratione ad extensionem referantur, priusquam praesentem Disputationem absolvamus, necesse est de utraque hac notione, quae dictu potiora videntur, hic exhibere. Primo itaque, ad spatium quod attinet, duo ex conscientiae relatione accipimus.

I. Quod *spatii* nomine significamus, ut receptaculum quoddam corporum uniuscuiusque menti observatur, corpora vero in eo contineri, eisque quodammodo adaptari

conciipiuntur. Hinc in eo distinguimus partes extra partes, quas non minus ac extensionem ipsam corporum, dimetitur: et spatia magna vel exigua, longa, lata, vel profunda communi loquendi more usurpamus. Cum vero operationi intellectuali operatio quoque imaginationis admisceatur; haec vero a corporea magnitudine abstrahere minime possit, ac praeterea, quae minime existunt, quasi actu adsint representare solet: hinc exurgit id quod *spatium imaginarium* dici consuevit. Nimirum intercedentem illam seu receptaculum paulo ante descriptum sub quadam forma sensibili imaginamur, quasi spectrum triplici constans dimensione, permeabile tamen a corporibus quae illud occupant.

II. Patet itaque quod initio diximus, spatium scilicet proxime ad extensionem corporum referri. Sunt tamen plura discrimina inter utrumque. Extensionem siquidem in corpore collocamus, corpora contra in spatio. Illam ut mobilem et impermeabilem, hoc vero ut immobile quoddam et permeabile concipimus. Spatium praecedit extensionem, ultra illam extenditur, eaque destructa non propterea ipsum quoque desinit: representatur proinde per modum expansionis cuiusdam aeternae, indefinitae, et indestructibilis. Atque haec quasi proprietates praesentationi spatii tum intellectuali tum phantasticae inesse concipiuntur. Et haec est ratio quamobrem, in re praesenti, nisi attente omnia perpendantur, facillime quis hallucinari poterit (1).

(1) Quanta sit hallucinationis causa in re praesenti, intelligi potest vel ex ipsa multitudine et varietate opinionum, quae vel ab antiquissimis temporibus de hoc spatio excogitatae fuerunt. Iam aetate sua sic scribebat Suarez, "Satis occurrit inquirendum, quid sit hoc spatium: in quo explicando mire hallucinati sunt auctores eius. Quidam dixerunt, referente Simplicio, illud esse corpus indivisibile et immateriale: in quibus verbis apparet repugnantia; sed forte intelligebant esse indivisibile, non quia caret partibus, sed quia disingi non possunt: immateriale autem vocabant, quia est penetrabile cum quolibet corpore: et similiter dicebant esse immobile, quia de

126. *Aristotelica definitio loci.* — Spatii conceptui proxime cognatus est conceptus *loci*: concipitur enim vel ut pars, vel saltem ut in determinata parte spatii quod descripsimus. Iam age, celebris est definitio tradita ab Aristotele, 4. *Physic.* c. 4.: *Terminus ambientis* (corporis) *immobilis primus* (1).

Dicitur 1. *Terminus ambientis*. Id ex eo deducit Aristoteles, quod locus ex una parte ab omnibus concipitur, ut dimensio quaedam continens locatum, et ex alia nec potest consistere in dimensionibus quibusdam immobilibus a corporibus separatis, ut quidam aiebant, nec est aliquid intrinsecum ipsis corporibus locatis. Hinc infert, talem dimensionem esse aliquid in corpore continente locatum. Hoc autem nihil aliud videtur esse, nisi ipse *terminus* seu superficies corporis *ambientis*.

Dicitur 2. *immobilis*. Locus quippe concipitur permanere, tametsi in eo non permaneant corpora quae illum adquirunt vel amittunt. Haec porro immobilitas minime invenitur in ipsa superficie corporis ambientis, si materialiter spectetur: haec enim et ipsa movetur ac etiam destruitur, etsi corpora in eodem loco permanere pergant,

ratione huius spatii est, ut non sit in loco, nec moveatur loco, alias quaerendum esset aliud spatium eius. . . . Fuit alia vetus opinio, hoc spatium esse quantitatem solam habentem suas dimensiones undique diffusas. Quam sententiam ex professo impugnat Aristoteles in 4. *Physic.*, et est per se incredibilis. . . . Alii ergo probabilis dicunt, illud spatium, prout intelligitur distinctum a corporibus replentibus illud, non esse aliquid reale positivum, sed esse vacuitatem quamdam ex se inchoantem carentiam corporis cum aptitudine ut illo repletur. (Metaph. D. 51. sect. 1. n. 10, 11, 12.) E recentioribus vero nonnulli, hoc spatium ab ipsa Dei immensitate nihil differre dixerunt: alii cum ipsis corporibus existentibus eorumque extensione confuderunt: alii recursum haberunt ad extensionem corpoream possibilem, prout talis est: quidam denique conceptionem spatii omni omnino obiectivitate privarunt, et vel tanquam purum ens rationis a mente confectum sine ullo fundamento in re ipsa, vel cum Kantio ut formam sensibilitatis plane subiectivam traduxerunt.

(1) Το τῶν περιέχοντος πᾶρας ἀκίνητον πρῶτον.

ut videre licet in aëre circumstante. Explicanda est igitur per certum situm in ordine ad quaedam puncta fixa, ex. gr. ad polos vel ad centrum terrae, si sermo sit de loco determinato in ipsa terra, vel ad alia quaedam, si de loco agatur quem ipsa terra occupat, ut constat ex usu geographorum et cosmographorum. In hac immobilitate constituit Aristoteles differentiam *loci a vase*.

Dicitur 3. *primus*. Solet enim duplex distingui locus, mediatius seu communis, et immediatus seu proprius. Hic est ipsa superficies ultima corporis continentis quae immediate tangit corpus in ea contentum, qui propterea dicitur proprius, quia aliud corpus ab eadem superficie excludit. Alius vero dicitur, in quo plura contineri possunt, non quidem sic ut mutuo penetrentur, sed alia in aliis locis propriis: ut est ex. gr. haec domus respectu diversorum corporum in ea contentorum. Quare eiusmodi locus mediate hanc appellationem suscipit, quia scilicet et ipse continet corpus, cuius diversae superficies sunt propria loca aliorum quae iis ambiuntur. Dicitur proinde locus per accidens, qui propterea definiri debet per locum qui per se est huiusmodi, proprius scilicet: unde hunc definiens Aristoteles dixit, eum esse superficiem continentem immobilem, non qualemeunque, sed *primam*, immediatam scilicet.

127. *Corollaria*. — Ex tradita spatii locique applicatione haec facile intelliguntur.

I. Locus modo descriptus non est res unius praedicamenti, sed diversorum. Quatenus enim dicitur superficies, spectat ad quantitatem: quatenus hanc vel illam figuram habet, coaptatam scilicet corpori locato, est in genere qualitatis; siquidem figura est qualitas quartae speciei: continetur denique in praedicamento relationis, spectato ordine distantiae ad puncta immobilia, unde diximus explicandam esse immobilitatem loci, de quo Aristoteles. Minime vero confundi debet locus cum praedicamento *ubi*. Hoc enim nomine non ipse locus intelligitur in quo res est, sed ipsum *esse rei in loco*. Apposite Silvester Mauro. * Aliud est quaerere quid sit locus extrinsecus, intra quem

corpora dicuntur esse, quo dicuntur contineri, et ad quem vel a quo dicuntur moveri: aliud est quaerere quid sit id quo corpora constituuntur formaliter in loco extrinseco, et intra ipsum continentur, quod vocari solet ubicatio... Aristoteles et antiqui magis egerunt de loco extrinseco. (Qq. *Philos.* lib. 2. q. 26.)

II. Patet secundo, locum de quo Philosophus, esse aliquod relativum. Sic enim et non aliter eius immobilitas ab eo declaratur, interprete Angelico l. c. Quare idem Philosophus ultimum sphaeram qua supponebat contineri totum universum, dixit, non moveri nisi circulariter, non quatenus ipsa per se mutet locum, sed per accedens tantum, ratione scilicet partium, quae per motum circulaarem sibi invicem succederent quantum ad situm et ordinem respectu centri. Ceterum nihil prohibet, quominus istiusmodi sphaera si esset, vel si supponeretur unum tantum corpus existere, motu etiam translationis secundum locum moveri possent: est enim res manifesta admodum, quippe etiam in tali hypothese potest optime adesse vis quaedam motrix ad talem motum gignendum idonea. Tum vero, stando definitioni Aristotelicae de loco, oporteret hunc motum explicare per ordinem ad superficiem *imaginatam* qua tale corpus contineri posset, istiusque superficiei immobilitatem in ordine ad quaedam puncta fixa in spatio imaginario, *quod nihil aliud est*, ait Card. De Lago, *quam concipere aliquid ubi possibile, in ordine ad quod reliquae praesentiae habent talem vel talem relationem distantiae vel propinquitatis*. (De *Eucharistia*, D. 5. n. 148.)

III. Locus, huc usque descriptus, est quid plane extrinsecum rei locatae, tum quia spectatur in corpore continente, ut terminus eius intrinsecus, non vero in ipso corpore quod locum occupat, tum etiam quia nulla ratione consideratur intra ipsas dimensiones corporis locati, sed ut quid mere ambiens seu circumdans illud. Refert autem Aristoteles, quosdam ante ipsum censuisse, locum esse ipsum intervallum seu spatium inter extrema corporis continentis. Refellit hanc opinionem, propterea quia tale intervallum non est immobile. Ceterum haec refutatio Phi-

losophi non videtur satis philosophica: nihil enim prohibet, quinimmo haec immobilitas explicetur eadem omnino ratione, qua ipse explicat immobilitatem superficiei continentis quam unice voluit dicendam esse locum. Quare placet distinctio a pluribus approbatam, loci scilicet *intrinsici* et *extrinseci*. Huic postremo convenit definitio Aristotelica, atque ita si intelligatur, nulla profecto melior inveniri poterit. Locus vero intrinsicus est pars ea spatii cui corpus respondet, quod locum occupat. Dicitur autem intrinsicus, non quia sit forma quaedam inhaerens ipsi corpori locato, sed quia ei plane commensuratur, ita ut in toto illo spatio recipiatur totum corpus, et in parte spatii pars corporis, et intimae partes corporis recipiantur in interioribus partibus spatii, et ita reliquae omnes cum proportione. Non est tamen imaginandum, hoc spatium esse rem quamdam positivam actu existentem et dimensionatam, prout imaginabantur illi veteres contra quos disputavit Aristoteles: quod quidem paulo inferius declarabimus (1).

IV. Colligitur denique, quid sit *vacuum*, et in quo differat, tum a *spatio*, tum a *loco*. Dicitur et constituitur vacuum ipsa privatione corporis in spatio vel loco: privationem dico, quia dicit earentiam cum capacitate illud recipiendi. Quare aliud proprie, aliud vero improprie sic nominatur, ut notavit Aristoteles (4. *Physic.* c. 6.) Proprie acceptum excludit omne omnino corpus, tum sensibile, tum insensibile: improprie vero sic dicitur quod, etsi corpore vere repleatur, hoc tamen sensibus non advertitur.

(1) Ex tradita explicatione patet, proprie et severe loquendo, locum *intrinsicum* minime confundendum esse cum ipsa praesentia rei in loco quam *abstractionem* vocant, etsi a pluribus haec duo promiscue usurpari solent. Res enim dicitur esse in loco: locus proinde concipitur semper extra ipsam rem locatam, scilicet ut quid distinctum, et in signo priori ad ipsam praesentiam rei in loco. Praeterea haec praesentia habet locum etiam in spiritibus, ut paulo inferius dicemus: quod nullo modo dici potest de loco intrinsicco eo sensu quem declaravimus. Ceterum haec est mera questio de nomine.

Patet autem quid differat a spatio et loco: haec enim tametsi non exigant corpore repleti, id tamen minime prohibent; contra vero, si de vacuo proprie tali agatur.

THESIS XVI.

Spatium, per se spectatum, non est ens aliquod actuale, aut quid mere confictum: sed ens quoddam rationis cum fundamento in re.

128. *Probatur I. pars.* — Spatium secundum se spectatur, cum abstractio fit a corporibus quae illud replent, nec praeterea consideratur ipse actus quo ipsum concipimus seu imaginamur, sed ipsum obiectum respondens a parte rei huic conceptioni vel imaginationi. Sic porro facile excluditur duplex modus explicandi tale spatium, quem in thesi meminimus.

I. Nequit imprimis esse quoddam ens actuale. Characteres enim huius spatii quos ante [125] recensuimus, non conveniunt ulli enti actu existenti. Concipitur enim, ut quid extensum quidem, sed aeternum, indestructibile, et indefinitum. Atqui res eiusmodi nequit esse increata: esset enim ipse Deus, et sic extensio Deo attribueretur, quod nefas est cogitare: nec potest esse res creata, quippe quae nec aeterna est, nec indestructibilis, nec infinitae magnitudinis. Praeterea, si aliquid esset, ergo vel substantia, vel accidens. Non substantia; alias utpote extensa alio indigeret spatio: neque accidens; siquidem subiecto indigeret, de quo eadem rediret questio.

II. Nec aliunde, in extremam partem prorsus declinantes, affirmare possumus, tale spatium esse quid plane a mente confictum. Et ratio facilis est. Concipimus enim illud, ut capacitem quamdam seu receptaculum recipiendorum corporum. Atqui haec capacitas non est quid omnino confictum a mente. Etsi enim non est capacitas

quaedam realis et passiva extra mentem existens; deberet enim inveniri in aliquo ente actu existente; respondet tamen huic conceptioni vera non repugnantia, seu aptitudo corporum ad occupandum tale spatium. Nec refert quod veluti aeternum, indestructibile, et indefinitum concipiatur: etsi enim haec attributa non conveniunt ulli rei creatae, prout actu existit, bene tamen asseruntur de veritate absoluta et intelligibili essentiarum omnium [Pr. Ph. 482].

129. *Probatur II pars.* — Sequitur ex praecedenti, Ad cuius intelligentiam revoca quod in Philosophia Prima declaratum est [447], negationes et privationes tunc solum evadere et dici *entia rationis*, cum accipiuntur ad modum cuiusdam positivae entitatis vel qualitatis: quod si tantum negativo quodam conceptu intelligantur, nullum existit ens rationis, sed eo modo reipsa concipiuntur quo concipi merentur. Iam vero ita res habet in praesenti. Spatium enim, secundum se spectatum, non est nisi ipsum *vacuum*, quodque vel impleri potest, vel actu impletum est et occupatum. Vacuum autem privatione quaedam constat, ut ante declaravimus. Aliunde, conscientia teste, privationem istiusmodi ad instar rei cuiusdam positivae concipimus; cui propterea imaginatio dimensiones sensibiles appingit, quasi expansio quaedam sit extra nos existens undique diffusa. Ergo spatium, se solo spectatum, privatione constat positivo modo concepta. Patet autem, id apprime convenire enti rationis cum fundamento in re, h. e. in ipsa possibilitate quam haec privatio connotat. Atque haec est sententia Eximii Doctoris paulo ante citati [125, nota]. * Quatenus, addit, hoc spatium apprehenditur per modum entis positivi distincti a corporibus, mihi videtur esse ens rationis, non tamen gratis fictum opere intellectus, sicut entia impossibilia, sed sumpto fundamento ex ipsis corporibus, quatenus sua extensione apta sunt constituere spatia realia, non solum quae nunc sunt, sed in infinitum extra coelum, prout supra etiam in Disp. 31, dictum est tractando de Dei immensitate. » (Metaph. D. 51. sect. 1. n. 24.) In idem fere recidit sententia doctis-

simi Petri a Fonseca. * Quid sit spatium ipsum, inquit, cum non sit ens ullum, difficile est explicata: possum tamen dicere, esse capedinem corporum, seu aptitudinem ad corpora capienda, quae maior est et minor iuxta quantitatem locandorum corporum, imo et actu infinita, ut capere possit omnia corpora, quae a Deo in infinitum maiora produci possint, seu, (quod eodem redit), est non repugnantia quaedam capiendorum corporum commensurata corporibus locandis. » (5. Metaph. c. 13. q. 7. sect. 1.)

130. *Corollarium.* — Ex his apparet, spatium *reale*, quod aunt, esse illud ipsum quod descripsimus, secundum quod a corporibus existentibus est actu *terminatum* vel *occupatum*. Intelligitur etiam, minus recte a quibusdam spatium collocari in ipsis relationibus *distantiae* quae adsit vel adesse possit inter corpora eorundemque partes. Nam haec relatio tamquam in subiecto concipitur esse in ipsis corporibus, nec praeterea immobilitatem ullam prae se fert: contra corpora ipsa concipiuntur esse in spatio eique adaptari, ipsumque immotum permanere tametsi corpora inde discedant.

THESIS XVII.

Rebus sive materialibus sive immaterialibus, licet alia et alia ratione, convenit adesse alicui spatio vel loco substantialiter praesentes ab eoque indistantes. Quatuor autem modi recte distinguuntur quo alicubi esse dicuntur, circumscriptive scilicet, definitive, interminate, ac sacramentaliter.

131. *Declaratio I partis.* — Res corporales secundum propriam substantiam loco adesse, res est per se manifesta: ipsis enim propriissime convenit locum substantia sua replere et occupare. Nemo praeterea negare

potest, spirituales etiam substantiam in locum aliquem, vel in corpus quod locum occupat, per se ipsam immediate operari, vel aliud physicae causalitatis genus exercere, puta formae in materiam. Atqui talis immediata causalitas non intelligitur sine substantiali praesentia, aut locali propinquitate quam asserimus. Neque id ullo modo contradicit propriae perfectioni et immaterialitati substantiae spiritualis. Nam, ut recte observat Suarez: "Haec propinquitas seu indistantia non requirit commensurationem vel extensionem, aut contactum quantitativum, sed solam simultatem, ut sic dicam, seu quasi penetrationem duarum entitatum in eodem spatio, quod ad rem explicandam nos concipimus et ideo imaginarium vocatur: spiritus autem capax est huius existentiae intimae, seu penetrationis cum corpore, imo solus ille hanc capacitatem habet, quia quantitate caret." (*De Angelis*, lib. 4. c. 1. n. 4.) His itaque extra controversiam positis, venio potius ad declarandum modum quo id habetur. Quoniam vero id primo concipimus in corporibus, hinc probe distinguere oportet diversa quasi elementa, quae menti observantur, cum ea in loco esse dicimus, ut quae eis exclusive conveniunt, ab iis quae talia non sunt, sedulo secernantur.

I. Primo itaque, cum corpus aliquod alicubi adesse dicitur, ab omnibus apprehenditur ipsa *substantialis praesentia* ubi locali ad locum ubi est, quam praesentiam non possumus commodiori et intelligibili ratione explicare, nisi per negationem distantiae, vel spatii intermedii substantiam inter locali corporis eiusque locum. Iam vero hoc convenit quidem substantiae corporali, sed non soli: cum proprietate enim verificatur etiam de spiritu. Sic, Deus ipse est in omnibus rebus, non solum quatenus omnia sunt in eius conspectu, eiusque operationis influxui subiacent, sed etiam per suam substantiam et *essentialiam*: quod nihil aliud est, quam per se ipsam intime adesse rebus omnibus, ita ut eas sine ulla admixtione pervadat, ac totus in toto mundo et totus in singulis eius partibus reperiat. Anima etiam humana, licet spiritus,

substantialiter adest corpori quod informat. Sic etiam Catholica fide edocemur, Christum Dominum in triduo mortis secundum animam descendisse ad inferos. "Nec vero, ait Catechismus Romanus in explicatione huius articuli, existimandum est, eum sic ad inferos descendisse, ut eius tantummodo vis ac virtus, non etiam anima eo pervenerit. Sed omnino credendum est, ipsam animam re ac praesentia ad inferos descendisse, de quo extat firmissimum illud Davidis testimonium, Ps. 15. 10: *Non derelinques animam meam in inferno.*"

II. Cum praeterea corpus dicimus esse in loco, solemus intelligere ipsum a loco *affici et contineri*, quatenus eorumdem extrema *quantitative contactu* mutuo se excipiant, scilicet *loci* per modum continentis seu ambientis, et *locati* per modum contenti et inclusi. Quare si unum corpus divina virtute sit penetrative cum alio, non propterea diceretur esse in illo *sicut in loco*. Patet autem, id minime posse cum proprietate sermonis veritatem habere in substantia spirituali. *Secundum tamen aliquam analogiam*, nihil vetat id concipiatur etiam in tali substantia, quatenus scilicet loco unitur, non certe per contactum quantitativae dimensionis, sed per causalitatem aliquam sive formalem sive effectivam, quae causalitas metaphysice dici potest *contactus, virtutis* scilicet. Et haec est ratio, quamobrem Ecclesiae Patres et Doctores quandoque aiunt, spiritum esse in loco *intelligibiliter*, vel *abusive*, vel *aequivocè*, spectando scilicet modum illum localis et quantitativae continentiae seu contactus quem descripsimus, qui certe non convenit proprie nisi corporibus.

III. Substantia denique corporea sic est in loco, ut non solum ab eo contineatur, sed etiam ipsi *commensuratur*. Ratione talis commensurationis, locatum sic loco coextenditur, ut secundum diversas sui partes diversas partes spatii occupet quod inter superficiem loci ambientis interiacet, quodque paulo ante diximus vocari posse locum *intrinsecum*. Cum id non conveniat corpori nisi ratione quantitativarum dimensionum, manifestum est, non posse verificari quoad substantias immateriales. Ceterum etiam

aliquid huic rei proportionale in spiritu considerare licet, si nempe in eo spectatur extensio quaedam ad locum, non formalis, sed *virtualis*, quatenus secundum eandem indivisibilem substantiam simul praesentialiter adsit spatio cuidam divisibili, ut patet ex. gr. in anima humana. Aposite S. Thomas. * Quidam imaginationem transcendere non valentes, cogitaverunt indivisibilitatem Angeli ad modum indivisibilitatis puncti: et ideo crederunt, quod Angelus esse non possit nisi in loco punctali. Sed manifeste decepti sunt. Nam punctum est indivisibile habens situm; sed Angelus est indivisibile extra genus quantitatis et situs existens. Unde non est necesse, quod ei determinetur unus locus indivisibilis secundum situm, sed vel divisibilis vel indivisibilis, vel maior vel minor, secundum quod voluntate applicat virtutem suam ad corpus maius vel minus. (Summa th. 1. p. q. 52. a. 2.)

132. **Declaratio II. partis.** — Intellegitur ex praecedentibus, et ad loquendi modum potius, quam ad rem ipsam declarandam spectat. Ut explicetur itaque proprius cuiusque rei modus existendi in loco, Philosophi et Theologi quadruplicem eum esse dicunt, *circumscriptivum* scilicet, *definitivum*, *interninatum*, et *sacramentalem*. His omnibus commune est, ut res intime et substantialiter adsit loco ubi esse dicitur. Differunt vero secundum diversam rationem qua id habetur. Res enim dicitur alicubi esse *circumscriptive*, cum per diversas suae substantiae partes diversis partibus loci respondet quo continetur. Patet, hunc esse modum connaturalem quo corpora in loco esse dicuntur, et ex dictis satis intelligitur. Dicitur autem aliquid esse *definitive* alicubi, cum ita uni loco adest ut in alio non sit, non tamen ibi coëxtenditur, ac propterea sicut est totum in toto loco, ita est totum in qualibet parte ipsius. Huius praesentiae exemplum habes in anima humana. Cum vero res tota est alicubi, quin loco circumscribatur aut terminetur, tunc dicitur ibi esse *interninate*: et hoc est proprium Dei ratione suae immensitatis, ut alibi ex professo declarabimus. Additur denique quartus modus essendi in loco, *sacramentalis* nimirum, ad desi-

gnandam specialem et mirabilem praesentiam Corporis Christi Domini sub speciebus Eucharisticis: de qua theologi (Summa th. 3. p. q. 76.)

133. **Collarium.** — Ex dictis infero, proximam et formalem rationem, qua res spiritualis substantialiter loco adesse dicitur, non constitui per aliquam actionem aut passionem quae intercedat inter ipsam et locum cui adest. Talis quippe operatio vel passio iam praesupponit hanc praesentiam tamquam *conditionem praerequisitam* [Pr. Ph. 630, seqq.], ac etiam citra talem operationem vel passionem conceptus huius praesentiae, substantialis scilicet, adhuc in mente subsistit, ut ex communi naturae sensu constat. Quod si, ut paulo ante diximus, non haec sola praesentia spectetur, sed praeterea *contactus* aliquis quaeratur, ut spiritus in loco esse dicitur, tum profecto nihil prohibet, quominus ad aliquod genus actionis vel passionis vel alterius etiam causalitatis recurratur (1). Quod

(1) Hac ratione et I. Kleutgen (*De ipso Deo*, n. 386.) exponit mentem Angelici, cum hanc praesentiam per ordinem ad aliquam operationem seu virtutis applicationem declarat. Voluit praeterea S. Doctor per haec ostendere, et *tamquam ex effectu* probare existentiam Angeli in loco, ut facit etiam cum sermonem habet de divina ubiquitate. Optime landatus Auctor: "La quantità, inquit, di uno spirito non è quella di un esteso, si è la quantità di forza, o di virtù. In tanto adunque lo spirito è in un luogo, in quanto può operare in esso: e come nel corpo la sua limitazione in un determinato spazio si manifesta nel non potersi estendere al di là di quello: così si manifesta nello spirito dallo avere una limitata sfera di azione, cioè dal non potere intuire immediatamente in alcuna cosa, che sia al di là di quel luogo. Se dunque S. Tommaso dimostra la località dello spirito dal perchè esso ha soltanto una limitata efficacia, e non abbraccia, come Dio colla sua potenza, tutto ciò che è, non vuole con ciò certamente dire, che l'angelo sia limitato ad uno spazio determinato, in quanto alla sua efficacia, e non in quanto all'essere ed alla natura; ma piuttosto inferisce egli qui, come ordinariamente, dagli effetti il principio, dal fenomeno l'essere: vuole cioè, che l'essere, il quale non può operare nello stesso tempo da per tutto, non possa nè anche trovarsi nel medesimo tempo da per tutto. (*Filosofia antica*, tratt. 4. n. 353.) Apparet etiam alia utilitas in hoc modo explicandi praesentiam rei spiritualis, Dei praesertim,

si ulterius curiose inquirat quispiam, in quo tandem poni debeat proximum fundamentum illius *relationis ubicativae* quam concipimus, cum substantialiter dicimus alicubi esse substantialiter praesentem, sincere fateor, me nihil hactenus invenisse quod mihi satisfaciatur, ac propterea responsionem aliquam qua mens mea quiescat a sapientioribus expecto. Lege tamen quae hac de re habet Suarez (*Metaph. D. 51, sect. 1, 2, 3.; De Angelis, lib. 4, cap. 2, seqq.*).

THESIS XVIII.

Nulla contradictio elucet in eo quod plura corpora simul sint in eodem loco proprio et sic mutuo compentrentur, vel contra unam idemque corpus substantialiter sit praesens pluribus simul locis adaequate ei respondentibus.

134. *Praenotanda.* — Proponimus hanc ultimam quaestionem, ne ea quae hactenus de natura quantitatis et loci dicta sunt, ulla ratione pugnent cum iis quae Catholica fide edocentur: impossibile quippe est verum vero opponi. Duo igitur imprimis advertet.

in rebus: sic nempe ex una parte optime concipitur, cum sit naturaliter obvium intelligere, rem ibi esse secundum suam substantiam, ubi immediate operatur; et ex alia parte cavetur periculum, de quo S. Thomas (1. *Cont. Gent. c. 26. in solut. 4. diff.*), confundendi scilicet spiritum, vel Deum, cum rebus quibus intime adesse dicuntur: satis quippe manifestum est, causam ab effectu distingui, neque unum alteri commiseri. Ceterum illud etiam in re praesenti notari debet, quod idem S. Doctor animadvertit (*Quolib. 1. a. 4.*), nomine *operationis* qua res spiritus locum cui adest quodammodo tangere dicitur, non solum *motionem* intelligi, sed quaecumque motionem, qua sua *virtute se corpore unit, praesentando, vel continendo, vel quocumque*

ALIO MODO.

I. Unum corpus ab alio penetrari dicitur, vel sui divisione, ut exempligratia cum a gladio penetratur; vel sine ulla sui divisione, sic tamen, ut in eodem proprio loco inveniatur, quemadmodum accidit quando unum in alterius corporis poros ingreditur; vel denique sine utriusque divisione, vel ulla proprii loci dissociatione. De hoc postremo modo compenetrationis, qui adstricta omnino significatione sic nominatur, sermo est in praesenti. Quod si e converso unum idemque numero corpus evadat simul substantialiter praesens pluribus locis sibi adaequatis, quorum scilicet unusquisque sit ei sufficiens, *bilocari* vel *multilocari* dicitur.

II. Compenetrationem sic descriptam divinae virtutis esse possibilem, Catholici omnes tenent. Sic enim exhibetur Christus e virginali utero Beatissimae Virginis, et e sepulchro prodixit, ac ianuis clausis ad Apostolos intrasse. Mysterium praeterea divinae Eucharistiae id ipsum postulat; ex quo etiam patet, id ipsum affirmandum esse de corporum multilocatione. Cum vero aliunde manifestissima experientia constat, utrunque esse naturaliter impossibile, necesse est, ut *modus quo id fieri* queat ad ineffabilem illam divinae operationis efficaciam pertineat, quam prudens quisque nimis curiose investigare nec debet nec potest. Quare satis superque erit Christiano philosopho, ut ostendat in de huiusmodi nullam ostendi posse manifestam contradictionem, etsi nesciat naturali et positiva ratione vel demonstrare eam esse possibilem vel explicare modum divinae effectiois qua fieri possit.

135. *Probatur I. pars.* — Si qua eluceret contradictio in compenetratione quam asserimus, ea ex duplici capite enasceret, nimirum vel ex naturali resistantia qua videmus unum corpus *effective* aliud expellere, ne simul in eodem loco permaneat, vel ex ipsa *formali* distinctione locorum et situs quae in ipsa ratione diversarum quantitatum involvitur, ut ante declaravimus [109]. Atqui ex utroque capite, naturalis quidem impossibilitas demonstratur, non tamen absoluta. Nam restituta illa efficientia quam unum corpus alteri opponit, ne in eundem

locum subintret, vel per denegationem divini concursus necessario requisiti ad quamlibet actionem causarum secundarum, vel per ipsum infinitum excessum divinae virtutis supra efficaciam omnem causarum finitarum, impediri vel superari potest. Distinctio autem secundum situm quae in ipsa formali ratione dimensionis quantitatis intelligitur, eatenus absolute prohiberet, bina corpora esse simul in eodem loco, quatenus remota distinctione situs eo ipso removeretur distinctio ipsorum subjectorum sive corporum. Atqui neque hoc demonstratur. Distinctio siquidem entitativa substantiarum corporalium est in signo priori ad eorundem distinctionem situalem. Remoto autem posteriori non propterea removeretur quod est prius. Nec sequitur inde, quod ipsae dimensiones utriusque corporis confundantur aut aliquid contrarium geometriae principii. Quod subtiliter et egregie ita declarat Angelicus. * Dicendum, ait, quod, posito quod duo corpora sint in eodem loco per miraculum, non sequitur aliquid neque contra communes animi conceptiones, neque contra definitionem lineae, neque contra conclusiones aliquas geometriae. Sicut enim supra dictum est, quantitas dimensionis in hoc differt ab omnibus aliis accidentibus, quod habet specialem rationem individuacionis et distinctionis, scilicet ex situ partium, praeter rationem individuacionis et distinctionis, quae est sibi et omnibus aliis accidentibus communis, scilicet ex materia subiecta. Sic ergo una linea potest intelligi diversa ab alia, vel quia est in alio subiecto, quae consideratio non est nisi de linea materiali, vel quia distat in situ ab alia, quae consideratio est etiam de linea mathematica quae intelligitur praeter materiam. Si ergo removeatur materia, non potest esse distinctio linearum, nisi secundum situm diversum, et similiter nec punctorum, nec superficiesum, nec quarumcumque dimensionum: et sic geometria non potest ponere, quod una linea addatur alii, tamquam distinctae ab ea, nisi sit diversa in situ ab ea. Sed supposita distinctione subiecti sine distinctione situs ex divino miraculo, ut dictum est, intelligitur diversae lineae, quae non distant situ, propter diversitatem

subiecti, et similiter puncta diversa. (4. *Dist.* 44. q. 2. a. 2. solut. 3. ad 2.)

136. *Probatio II. partis.* — Quod corpus alicubi existens modo sibi connaturali, non possit simul, divina virtute id operante, substantialiter alibi adesse, ex duplici capite ratiocinando haberetur. Primo quidem, spectata unitate transcendentali, qua fit ut nullum ens a se ipso dividi queat: in tali quippe hypothese videri posset, substantiam eiusmodi corporis, individuam licet, multiplicari, atque ita ipsam a se dividi, quod certe absolum est. Secundo vero, ex ipso modo quo corpus in loco sistitur, ita scilicet ut ipsius dimensiones dimensionibus loci commensurentur: ex quo fit, ut arguit S. Thomas (*Quolib.* 3. a. 2.), si eius dimensiones ab uno loco circumscribantur et comprehendantur, nihil earumdem alteri loco commensurari queat; evaderent enim seipsas maiores. Iam vero neutrum demonstrative ostendi hanc impossibilitatem. Non primum. Nam, quocumque modo explicetur id quo formaliter res constituitur alicubi substantialiter praesens, certum est, non propterea variari ac multiplicari substantiam, praecise quia haec praesentia variatur aut multiplicatur; secus enim nec successive ea variari ac multiplicari posset, immutata manente ipsa substantia. Ergo qui dicit idem numero corpus quoad substantiam pluribus in locis substantialiter esse praesens, non contradictoria affirmat. Non alterum. Ratio enim adducta ad summum probat, non posse idem corpus esse circumscriptive in pluribus locis; licet id etiam a theologis doctissimis denegetur (1).

(1) Ita scilicet tenet Scotus (4. *Dist.* 49. q. 16.), Alexander Alensis (4. part. q. 11. a. 1.), Bellarminus (*De Eucharistia*, lib. 3. c. 3. 4.), Suarez (*De Sacramento*, D. 48. sect. 4.), De Lugo (*De Eucharistia*, D. 5. sect. 1. 2. 3.), quibus plurimi e recentioribus assentiuntur cum Card. Franzelin (*Tract. De Eucharistia*, p. 174.). Hic postremus praevidenter tamen, ut haec opinio verisimilior fiat, sic scribit: * Et praeter ista, quae praesens est, sunt etiam aliae difficultates amoveantur, prae oculis haberi debet duplex principium: a) Replicatio est vera multiplicatio habitudinis ad locum et relationum ad spatium, in qui-

Minime vero demonstrat, non posse unum corpus, quod in uno tantum loco est circumscriptive, alibi praesentialiter et substantialiter adesse eo modo existendi quo substantia spiritualis alicubi esse dicitur, per indivisibilem scilicet quemdam praesentiae modum quo substantia est tota in toto et tota in qualibet parte loci eiusdem. Ut enim hoc demonstraretur, necesse esset evidenter probare, modum existendi connaturalem rei superioris ordinis non posse divina virtute concedi rebus ordinis inferioris: quod certe nemo unus ostendet.

bus una substantia seu nominatim unum corpus constituitur. Unde haec habitudo et haec relationes earum omnia, quae ab habitudine ad locum et spatium pendunt, revera ita se habent, ac si multa essent corpora. Contra vero *b*), quia res manet una numero, etiam una manet et non multiplicata omnis perfectio independens e relationibus ad locum et ad spatium. Sicut ergo eadem numero res, quae est in uno loco, est etiam in altero, ita pariter omnis perfectio independens a relatione ad locum, quae inest rei replicatae in uno loco, eadem numero inest in alijs locis omnibus. Omnes fere difficultates reales ex neglecta consideratione duplicis huius principii oriuntur: aliae sunt vere verbales et ex ambiguitate vocum confictae.

DISPUTATIO IV.

DE MOTU CORPORALI.

SECTIO I.

Notiones praeviae.

137. **Materia et ordo tractationis.** — In Disputatione praecedenti egimus de quantitate, quae cum corporibus conveniat ratione materiae omnibus communi, ea quae diximus, totam naturam corporalem sive anorganicam sive organicam respiciunt. Agendum modo est de corporum activitate. Haec corpori inest ratione propriae formae, ideoque diversa est pro diversitate cuiusque speciei ad quam unumquodque corpus per suam formam determinatur. Omnis porro activitas causarum secundarum, nedum corporearum, cum mutatione vel motu coniungitur, quin ab ipsa mutatione motive reipsa non distinguitur [*Pr. Ph.* 638]: quare perinde est de activitate corporum ac de ipsorum proprio motu tractare. Primo itaque notiones quasdam generales dilucidabimus, ut ea quae de motu in universum considerato in Philosophia Prima declaravimus [622, seqq.], ad motum corporalem coarctentur. His praemissis, quaestiones praecipuas definiemus quae de motu naturae tum inorganicae, tum et potissimum organicae, agitari solent: ac demum de tempore agemus, quod ut mensura totius motus corporalis habetur.

138. **Quinam motus corporibus addicatur.** — Iam